




**Colloquium Jesuiticum Toti orbi Christiano ad recte?
cognoscendam Jesuitarum religionem utilissimum. Adjecta
huic nonnulla sunt paradoxa, tum de Jesuitarum artolatreia,
tum etiam de Prædestinatione.**

<https://hdl.handle.net/1874/423313>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E oct.


158

U.B.U.










tus ad portas mortis.
erunt ad dominum eum
in & necessitatibus
beravit eos.


Et clamauerint ad dominum cum
tribularentur & de necessitatibus
coram liberavit eos.

p h o

equod am
ta. Et equiuoca. alle quid mltū
dūtantes. alle holista qndam
clitudinem. alle ho prime. aut
gile. aut clitudine. unde ho ut
decur. et quocatones et tu sine
Et gratia est frē. ne ad māno. au
n alia uiuio. aut clausuco. au
qui. aut quo disēni.
et id sit album. et dulce. aut ali
ud. qz ui filio quid atti. aut qz
omio id. de uitacōne qui de
modo e equt uelox. aut eti
pm sanari e attari. huc
et ad uelocit. aliū aut rante sa
nari se. etiū quosdam. que
ut intenio equali uelox. uelox
aut uelox. aut qz. 93qz etiā
et iū. et nō hīdi. si sunt mī
mālitas. hīt et illāudo.
qz mitat ut meū nēpe.

utrumqz





N 3 B

COLLOQVI- VM IESVI- TICVM

Toti orbi Christiano ad rectè
cognoscendam Iesuitarum
religionem utilissi-
mum.

*Adjicta huic nonnūlla sunt paradoxa, tum
de Iesuitarum apocalypsiā, tum etiam
de Prædestinatione.*

CHRISTIANO FRANCKEN
GARDELEBIENSE AVCTORE.



*Ex donat. lib.
a Blinbel*

BASILEÆ,
Anno M. D. LXXX.



GOTFO GAI

AM HIS VAI

TICAW

To the English reader

of the original Latin

and German versions

of the book

of the author's life

and death

and of his works

and of his friends

and of his enemies

and of his enemies

and of his friends

and of his enemies

Georg
Kohl



COLLOQVI VM IESVI TICVM

Toti orbi Christiano ad rectè
cognoscendam Iesuitarum
religionem utilissi-
mum.

*Adjicta huic nonn. illa sunt paradoxa, tum
de Iesuitarum ap̄clatēa, tum etiam
de Prædestinatione.*

CHRISTIANO FRANCKEN
GARDELEBIENSE AVCTORE.



*Ex donat. Hub.
a Blitter*

BASILEÆ,
Anno M. D. LXXX.



COPÍA DE
LA ENSAYA
TICAM

que se oportuna que no
se ha de oportuna
que se ha de oportuna

que se ha de oportuna
que se ha de oportuna
que se ha de oportuna

que se ha de oportuna
que se ha de oportuna

que se ha de oportuna
que se ha de oportuna
que se ha de oportuna



3

OMNIPOTENTI
ET INVICTISSIMO
IMPERATORI CHRISTO
Opt. max. cœli, terræque Regi, Duci ex-
ercituum, Principi principum, ac
Domino dominorum, domi-
no suo clementis-
simo.



V A M *hujus inimici libelli* sint potentes,
quantoq; astu fermè omnia prioris editionis exemplaria, mea conuersionis auctori Paulo Florenio dedica
*ta suppresserint, tu profectò, Imperator Sapientissime, omnium optimè nosti: qui cuncta gubernans nihil non vides, qui malos non secus ac bonos suam ingredi viam sinens multorum impediri salutem cognoscis. Quocirca *hujus editionis exemplaria* Majestati nunc tuae dedicare volui, omnipotenti ut tuo præsidio fulta à crudelissimis inimicis defendarentur: quorū praterquam quodd in coru*

pora multorum summa potestas est, in animas quoque eorum tanta est potentia,
 ut miro quodam meditandi, nouasq; un-
 dique rationes eliciendi artificio non
 Antichristum modo, sed ipsum etiam, si
 velint, diabolum pro Deo eis obtrudere
 defendere que optimè posse videantur.
 Dedico autem tibi, Christe potentissime,
 non libellum hunc solū, sed priorem eti-
 am hujus prefationem, mei à Iesuitis dis-
 cēsus causam explicantem, Paulo Flore-
 nio inscriptā, que, ut nosti, erat hujusmo-
 dī; Quoniam semper ad te, Paule doctiss.
 mens mea recurrit, singularis & diuini
 memor sermonis, quē paucis diebus ante
 tuum ex Iesuitarum religione discessum
 mecum habuisti: necessarium esse planè ju-
 dicaui, cū mihi ipsi, ad nostrā recordatio-
 nem amicitiae declarādam: tum maximè
 omnibus Christianis, ad salutis suæ dulcis-
 simum, Iesuq; diuino nomine tectum &
 occultatum venenum cognoscendum, ut
 sermo hic quoque tuus, vel noster potius,
 literarum mandatus monumentis, ad
 te in primis, tanquam ad præcipuum au-
 ctorem suum, recognoscendi gratia, præ-
 sen-

præsentemq; te, cùm ipse jam venire non
 possum, amandi, reuerteretur: Deinde ve-
 rò monendi causa ad omnes, qui ubique
 sunt, Christianos exire permitteretur.
 Etenim tanta hujus, tamq; aperta vis
 est, & veritas, ut diurnis me, nocturnis q;
 animi stimulis perpetuis penè confec-
 rit: nec unquam postea, quām tu Iesui-
 tis valedixisti, quiescere, aut respirare
 suuerit: repugnantemq; nihilominus sem-
 per, ac reliquis ingenii viribus ad mor-
 tem usque vocationem meam defendere
 conantem, vix tandem viuum exceptū,
 atque ex media Iesuitarum sodalitate
 extractum, in communem me hominum
 societatem rejecerit. Vbi nunc consti-
 tutus, sape casum veluti aduersum, & ini-
 quum deploro meum: quasiq; ductis post
 tergum oculis, viso I E S V à me relido,
 grauiter suspiro. Sed tamen hoc me lue-
 du toties leuari sentio, quoties mentis
 aciem à consuetudine Iesuitica abdu-
 cens, antiquum quero atque inuenio
 I E S V M: qui ppe qui non suam mihi, sed
 Pharisaicam tantum, suo tamen insigni-
 tam nomine religionem ereptam esse,

non dicat modo, sed hoc etiam signo confirmet, quod nemo sanementis homo, istam qui societatem I E S V ingressus, vel jam ingressus, hunc meum, atque adeo nostrum libellum attentè legerit: lectumq; diligenter cum ejus constitutio nibus, moribusq; contulerit, in ea obfucum fallaciamq; deprehensam permanere poterit: quodq; ad hunc ipsum, quamvis minimū libellum, nemo Iesuitarum, veritate conscientiaq; prohibentibus, respondere audebit: vel ausus, verè, sacerdos respondebit. quanquam fortasse aliis quispiam, legum, morum, constitutionum Iesuiticarum ignarus, multaque sine mente ac ratione turbans stupidus & stolidus blatero (cujusmodi hoc tempore permultos Romana alit Ecclesia) Iesuitarum patrocinium suscipere non grauabitur.

Neque etiam Reuerendi nostri Iesuita, idem mihi, quod aliis solent, obijcere poterunt: me non sincero ac religioso, sed facto, & explorandi animo ipsorum suis se religionem ingressum: atque hanc ob causam in eadem permanere non potuisse.

se. Nam in primis ipsi fatentur, me penè puerum nullo simulandi artificio eruditum ad suam religionem peruenisse: idq; in prima statim probationis Romana domo ita crebris corporis voluntariis suppliciis testatum esse, ut ter unico illo anno in febriculam inciderem. Deinde in Romano ipsorum Collegio, ubi optimus quisque & ingeniosissimus juuenis, cùm ad ardentes, totumque caput & pectus fatigantes meditationes studiorum quoque labor accedit, venam sibi pectoris frangens, unāque cum sanguine animam effundens, ad immaturam mortē detruditur, me eodem etiam fati nouo, & prorsus Iesuitico genere libentissimè decessurum fuisse, nisi Medicorum consilio inuitissimum, ad Neapolitanum Collegium, tanquam ad laxiorem disciplinam, clementiorēmque, utpote Campanam, cæli temperiem missent. Postremò ex Italia in Germaniam reuersum ad propagandum Regnum Iesuiticum multis ultrò voluminibus patriam mihi charissimam Saxoniam, atque in ea Magdeburgen-

ses potissimum, & Gardelebienses, & in his eximum præsertim Doctorem Siegfridum Saccū, Superintendentem Magdeburgensem, & doctissimum virum M. Arnoldum Bierstedium, Senatorem Gardelebiensem acerrimè oppugnasse. Hæc inquam, ut alia omittam, & tu partim non ignoras, & Iesuitæ, ut dixi, negare non audebunt, & ipsa à ficto potuisse in religione animo proficisci, neminem arbitror, nisi omnis pietatis & religionis expertem esse dicturum.

Quod denique ad ipsum hunc libellum, seu Colloquium hoc attinet, in eo breuitatis causa imitatus Platonem, & M. Tullium in suis de Philosophia libris, te, cum aliqua tui laude (quam aquo, queso, animo feras: cùm nec me blandiri, nec te laudibus capi posse optimè noueris) induco Doctorem, de Societate I E S V, deg̃, ipsius idolis differentem: me autem discipulum vel addubitantem, vel querentem aliquid, tandemq; sententiam meam tua adjungentem. Vale. Atque hac mea fuit ad Paulū Florenium prefatio, quam tamen, ut scis, non tam post sui,

sui, multa breuitatis causa omittens.
 Rogo itaque nunc te Christe sanctissime,
 ut, Si mihi nullas huic meæ conuersionis
 auctori per inimicos meos referre gra-
 tias licebit, pietatis tamen in me sua,
 benevolentiaq; quasi insignia sic animo
 impressa meo permaneant, ut æternum
 ipsifixa in altera saltem vita apud omnes
 spiritus tuos beatos, mentem meam cer-
 nentes præsent monimentum. Ba-
 fileæ Kal. Octobris anni
 1579.

Majestati tua deuinctissimus

Christianus Francken.

B R E V E C O L L O -
 Q V I V M I E S V I T I C V M ,
 T O T I O R B I C H R I S T I A N O ,
ad rectè cognoscendam, hactenus non sa-
tis perspectam Iesuitarum religonem, us-
tilissimum: habitum à sacrae Theologie
Doctore & Professore, Paulo Florenio,
cum Christiano Francken Philosophiae
Professore in Casareo Iesuitarum Gym-
nasio Vienne, Anno 1578.

x x. Ianuarii.



V M S I N G V L A R I S
 viri, & propè diyini,
 Pauli Florenii tem-
 pus adesset, quo ex
 perversa Iesuitarum
 fodalitate, ad com-
 munem hominum societatem remi-
 graret: nosque illo ipso tempore soli
 essemus, tum ille: Videtur mihi, in-
 quid, Christiane rem omnem since-
 riūs & subtilius contemplati, nostra
 hæc, in qua versamur, religio Iesuiti-
 ca, tota ex superstitione, hypocrisi, &
 ficta quadam, pictaque sanctitate con-
 flata,

flata, ultimaq; hac mundi senectute à
 diabolo excitata: quę omnes errores,
 nugas & superstitiones: quę, uno ut
 verbo dicam, minus honesto quidē,
 & quo sanè invitus utor, sed huic rei
 aptissimo, planeq; necessario, quę
 inquam omnia turpissima Papæ ster-
 cora, tum graviter per se olentia, tum
 verò hoc tempore, quo à curiosis ple-
 risque & cruditis viris crebrò com-
 moventur, multò magis fœtentia,
 sanctitatis jam quadam simulatione
 condita, temperatāe, mæandrisque,
 nescio quibus, involuta, orbi Christia-
 no iterum venderet pro aromatis,
 atque adeò per vim fermè quandam
 obtruderet: ut nihil tam turpe, fœdū
 & falsum in Romana Ecclesia cerna-
 tur, quod hæc novo non artificio, vel
 mentis aciem præstringendo, vel o-
 mnem turpitudinē & falsitatem cal-
 lidè tegendo, pulchrum apparere fa-
 ceret, atq; verum. Quare consideran-
 dū nobis etiam atq; etiam, censeo: in
 quānam religione versemur, ne hanc
 esse falsam ignorantes, & ipsi à Deo

Terem.51. ignoremur: Deinde verò, quòd præclarus ille vates Ieremias jubet, faciendum: Fugite, inquit, de medio Babylonis, ut salvet unusquisque animam suam. Itane verò, inquam, Paulus omnium tu sanctissimam & doctissimam religionem fictam esse putas, & falsam? Atqui ego vel hanc esse veram existimo, proindeque in eadem nobis, tanquam legitima in vocazione nostra, juxta Apostoli doctrinam, permanendum, nec latum ab ea unguem discedendum: vel omnes, quæ ubiq; sunt, falsas esse religiones: qua propter velis, ut aiunt, remisque fugiendas.

1.Corint.7. Tum Paulus, Idem mihi, inquit, Christiane, necdum hanc religionem ingresso videbatur: eademque de causa, è blandientis mundi hujus, ex amplexuque me suo dimittere nolentis, erupi tandem brachiis: quasique currentis, ad Societatem I E S V, tanquam ad omnium sanctissimam, Deo gratissimam, animæ meæ utilissimam religionem, veni: sed veram nunc in ea,

&

& sinceram sanctitatē quærens, non nisi (heu mihi) fucatam, & simulatam invenio.

Hoc autem non odio me, vel malevolentia, inductum confingere, sed ab ipsa convictum veritate, & coactū esse dicere videbis, evidentissimeque palpabis, si ad ipsa statim mecum Societatis fundamenta penetrans, reliquaque omni voluntaria vel, ut nostri vocant, sancta simplicitate, animive cæcitate, purum rationis lumen tecum afferas: sique claro & sincero, non autem præstigiis Iesuiticis cæcato animo ea intuens, omnem fucum & fallaciam cernere queas.

Quod si, ut spero, facis: non dubito, quin jam nunc ex iis, quæ in quavis nostra probationis domo, ad erudendos, & juxta normam Societatis instituendos novitios jaciuntur, spiritualibus fundamentis intelligas: neminem prorsus huic esse religioni aptum, nisi qui vel naturalem quam uam, vel servili educatione acquistam, vel stupore quodam animi arre-

ptam propensionem habeat, ad hy-
pocrisim & superstitionem: nempe
qui manifesta quadā oris pietate, vul-
tusq; totius benignitate devotionē,
quam vocant, sciat suam prōdere in

Matib. 6: pro patulo, quam tamen Christus
abscondere jussit in cubiculo: quīve
publicē orans, non aliter ac Phārisæ-
us jejunans, faciem noverit suam ex-
terminare: quæ cūm verissima sīt hy-
pocrisis, à nostris tamen ædificatio
appellatur, & devotio. Evidem hoc
esse Societatis nostræ fundamentum,
indies magis magisq; perspicio, atq;
valde etiam deploro: neque prius
animus conquiescet meus, quām ex
his fōrdibus emersero. Tu verò si
diuturna consuetudine quasi altera
natura impeditus, illud fortassis nec-
dum vides, efficiam profecto, ut vel
solo id tactu, sensuum omnium stu-
pidissimo illo quidem, sed sincerissi-
mo, & qui minimè de prayari possit,
cognoscas.

Fateor sanè, inquam. Paule me ista
nondum videre: quare si tenebris me
le-

Iesuiticis circumfusum arbitraris, fac,
 si potes, tactu saltem cuiusmodi ca-
 fint, ut cognoscam. Atque ille accede-
 igitur, inquit, jam proprius, memoria-
 que quasi manu tange omnē, quam
 partim in teipso, partim in aliis Iesui-
 tis es hactenus expertus sanctitatem:
 eamque diligenter cum singulorum
 simul naturis, Italicis, Hispanicis, Gal-
 licis, Germanicis: ingeniosis, vel sto-
 lidis: ingenuis, vel servilibus diligenter
 ponderans explorato, sic tandem,
 scio, statues: in Hispanis & Italies mul-
 tò te semper plura & majora Iesuiti-
 cæ sanctitatis insignia notasse, atque
 observasse, quām in Germanis, Gallis,
 & aliis nationibus: in stolidis autem
 & servilibus hominibus multò ad-
 huc plūra & majora, quām in inge-
 nuis & ingeniosis.

Causam autem hujus rei, in Hispa-
 nis quidem, nullam aliam reperies,
 nisi servilem in Christiana religione
 educationem. Tanta enim in Hispania,
 ut scis, de fide Romana in singu-
 los fit inquisitio: tamq; arcta, ne inde

avoret, septa tenetur custodia, ut nisi
 ipsi filii ad parentes suos *αἰγέστεως* da-
 minatos exurendos, allato propria x
 domo lignorum fasciculo, carnifi-
 cem adjuvent, ipsique propemodum
 parentum carnifices existant, hæreti-
 ci ferè ab omnibus judicentur, co-
 demque digni suppicio censeantur.
 Ex quo certè cognoscis, necesse esse
 Hispanos superstitiosos evadere, a-
 ctus religionis externos multiplicare,
 & vel mortuos fidem Romanam spi-
 rare: ne si minus multa religionis suæ
 signa dederint, suspecti de fide red-
 dantur, & in tertiam usque & quar-
 tam generationem crudelissimè pu-
 niantur. In hac igitur infinita animi
 scrvitute nata, educata, instituta na-
 tio Hispanica, per se fervens, & cho-
 lerica, qui potest non fieri sua in re-
 ligione ferventissima, vel, si mavis,
 sanctissima? imò qui non ipse diabo-
 lus si Hispanicæ inquisitionis esset
 capax, semper se in angelū lucis trans-
 figurare, aliquemque acquirere Ro-
 manæ sanctitatis habitum cogeretur?

2. Cor. II.

Hoc

Hoc ex fonte profluxit Ignatius de
Loyola, qui miles Gallorum virtute
in arce Pompeiopolitana vicitus: i-
pse verò superstitione omnes vin-
cens, factus est pater Iesuitarum, qui-
bus vicissim Gallos, necnon totum
orbem expugnaret terrarū. In Italis
verò frequētes illos religionis exter-
nos actus oriri deprehendes, ex natu-
rali quadam ad hypocrisim & super-
stitionem inclinationē: quippe qui,
ut ex omnibus ferè suis ipsorum mo-
nimentis constat, semper fuerint,
sintque ad Deorum multitudinem
colendam, & ad omnem Idololatri-
am propensissimi: facile ut appareat,
ex hoc eos fornicationis poculo per-
multa in religionem Christianam *Apoc. 17.*
transfudisse: eamque fermè totam
veneno mortifero infecisse. Quo ve-
neno adhuc maxima pars orbis Chri-
stiani, suavitate, dulcedine, antiquita-
te & pulchritudine ipsius illecta de-
ceptaque inebriatur, dum quotidie
de sua sollicita salute ad multitudi-
nem Romanorum confugit Deorū,

nimirum & ad innumeros sanctos à Pontificibus Romanis Deorum loco ethnicorum inductos , ad invocanduniq; propositos , atq; hos etiam e- osdem , si non reipsa , at nominibus multiplicatos : & ad plurimas Deas , seu sanctas,in quibus proculdubio lo- co Cereris , quam Romanæ mulieres facibus accensis religiosissimè cole- bant. Virgo Maria tum est constituta. cùm festum luminarium seu Purifica- tionis est institutum: cumque ad au- gendam idololatriam,hæc ipsa solen- nitas in mensē potissimum Februa- rium est conjecta:quo tempore prisci Romani Februia celebrabant sua,to- tamque urbem februare,id est,lustra- re,seu purgare solebant. Siquidem o-

Varro lib. I. omnis tunc populus , ut Romani scri- de vita pop. ptiores testantur,pro impetranda de- *Romani.* functorum animabus quiete , piacu- *Macrobius* lis, sacrificiisque circa sepulchra, faci- *lib. I. Satur* bus accensis,cærevisque intentus erat. *maliorum* Ad hanc idololatriam sacram deinde *cap. 13.* scripturam per se venire nolentem *Ouid. 2* & *4. Fast.* quasi per crines attraxerunt: & fortas- sis

As aliquem etiam ejusmodi librum
inventum, ex quo hæc quoquo mo-
do deduci, probarique possit, cationi-
cum fecerunt, ut ex ea omnino arti-
culus fieret fidei: in quo defendendo,
ut in multis aliis, omnes Romanæ Ec-
clesiæ Doctores, vel somniatores po-
tius mirandum in modum, sed frustrâ
desudant: tandemque excogitandis,
inquirendisq; quotidie novis ratio-
nibus, cùm nihil se proficere videant,
ad traditionem Ecclesiasticam, tan-
quam extremam ad anchoram, uni-
cumque portum salutis confugiunt:
Cum tamen illa ipsa traditio maxima
ex parte, præcipuo Idolo Romano,
magnitudine sua ad cœlum usq; per-
tingente, imò ad venerandam & tre-
mendam Trinitatem, triplici, quam
gestat, corona, triplicique, quam om-
nes ad ipsum accedentes faciunt, ge-
nusflexione, sese erigente, fulciatur.
Nec verò ulla ego alia de causa Ger-
manos & Bohemos suapte natura
ad omnem pietatem propenden-
tes, tam facile à Romana descivisse

arbitror Ecclesia, quām quod ipsi ob
insitam sibi gravitatem, morumque
honestatē, ab omni idolorum &
ceremoniarum multitudine, ab om-
niq̄e gesticulationum & supersti-
tionum levitate, Italorum propria,
semper abhorruerint, adhucque ab-
horreant. quanquam hac tamen Ido-
lolatria, & levitate non per paucos
annos se se contaminarunt, inducti i-
doli Romani autoritate, nunquām
que fallente, quam semper se possi-
dere prædicaret, veritate. Quòd si
nonnulli specioso Hieronymi, Am-
brosii, Augustini, Bernardi, Thomæ
Aquinatis, & aliorū nomine sancto-
rum per nostros Iesuitas commoti
ad pristinam abominationem rever-
tantur: hi certè vel indocti, & inex-
perti sunt juvenes, vel minus pruden-
tes & intelligentes viri: qui confuso
quodam sanctitatis, & doctrinæ ru-
more ipsi quoque confusi, cernere
non valent: quòd, quoniam isti, quos
dixi Patres, Romanum Pontificem
Deum terrenum fecerunt, summam

inter

inter omnes homines potestatem, & perpetuam doctrinæ veritatem illi alligando, vicissim eis Romanus hic Deus sanctitatis quoddam donatū, & alligatum voluerit nomen: ut tanta illa, tamque suæ dignitati, ne dicam vanitati, serviens doctrina, non humana, sed divina voce fusā videtur, eaque ipse semper fretus quovis nobis fidei posset articulos condere. Serviles denique & stolidos homines, (hi enim in nostra illa divisione nobis restant) quis non videt eam ipsam ob causam, & facilimè aripare, & pertinacissimè retinere stolidā hanc, & servilem, sibi que naturaliter convenientem religionem? Sed hoc tu optimè intelligis, qui non ita multis, si meministi, abhinc diebus, dolorem mihi tuum, ex rusticis collegii hujus & stolidis moribus acceptum, cōmunicasti, cùm non sine tui aliqua commiseratione ex te audirem: te postea quām ex Italia in Germaniam essem reversus, acerbissimis exagitatū animi doloribus, citissimam ti.

bi s^epe mortem exoptasse, ne quid contra tuam facere vocationem co- gerere, quam vehemēter infriegeret & labefactaret ea cogitatio, & experientia: quod in istis partibus Societatem I E S V non ingrederetur, vel certe non remaneret, nisi fāx hominum, quæ vix rationis sit capax, nedum veræ pietatis & religionis: cui tamen, quod multitudine vincat, te in omnibus conformare debeas, si extera velis pāce, simulque interna tranquillitate animi frui. Bene igitur habet, cognita sunt nostræ religionis fundamenta: ad ipsum nunc corpus Societatis pergamus, quod cujusmodi sit, non est jam difficile ex suis quasi principiis, causisq; cognoscere. Nam cūm Societas nostra, quæ I B S V cognomentum impudentissimè sibi arrogat, ex ejusmodi hypocritarum, & superstitionis hominum colluvie cōstet, pharisaica erit potius dicenda religio, quæ tamen I E S V, ut dixi, pulcherrimo vestita sit nomine, ut miseri

Mattb. 7. mortales jam nō solū sub vestimentis

tis ovium, sed etiam sub divinitatis or
namēto salutis suæ latitantes insidia-
tores haberent: ut etiam, si fieri pos-
sit, electi, nihil in tanto veritatis no-
mine subesse suspicantes falsi, in erro-
rem inducerentur.

Totum autem corpus Societatis
præter Generalem, qui ordinis hujus
est caput, & Coryphæus, sex omnino
hominum genera complectitur: quo
rum primi sunt quatuor votorum
Professi: alteri, trium votorum pro-
fessi: tertii, Coadjutores spirituales:
quarti, Coadjutores temporales: quin-
ti, Scholastici: sexti, novitii. Qua-
tuor votorum Professi ita appellan-
tur, quod præter tria communia Pa-
pertatis, castitatis & obedientiæ vo-
ta, peculiariter vovent: & Pontifici
Romano obedientiam, in dissemin-
nandis nimirum & propagandis to-
tum per orbem terrarum, cum ipse
iussit, Romanæ Ecclesiæ erroribus
& superstitionibus, non petito viati-
co: & Patri Generali abnegationem
honorum, ne scilicet fieri extra So-

cietatem Cardinales velint, & tamen
hoc ipso nomine fiunt Cardinales in
Societate: ex quibus Generalis, ipso-
rum Papa, eligatur: quibus tanquam
cardinibus tota Societas vertatur;
qui habeant existimationem doctri-
næ, & sanctitatis: sicque vana & stu-
ta Societas, dum ambitionem se fu-
gere putat, vel dissimulat, in ipsam
ambitionem incurrit. Non secus ac-

*In primo
Tusculana
rū questio-
num libro.* vani illi, de quibus Cicero meminit,
Philosophi, qui iis ipsis libris, quos
de contemnenda gloria scribabant,
in illis nomina inscribentes sua, ina-
nem gloriam aucupabantur.

Trium verò votorū Professi sunt
in societate Episcopi. nam hic gra-
dus cùm in aliis religionibus à sim-
plici sacerdotio non separetur, sed ij-
dem, qui sacerdotes, fiant quoque
Professi: in nostra tamen religione ab
eo sejungitur, quò nimirum altior,
majorque appareret, si multis annis
primū post Sacerdotium, ad Profes-
sionem, tanquam ad Episcopatum
concederetur ascensus. Quibus sanè
gra-

gradibus satis superq; nobis demonstrant, se turpem ambitionis speciem in pulcherrimum, speciosissimumve i-nanis gloriæ simulachrum commutasse: quod pulchritudine sua omnes mortales commoveret, plurimos etiam aliceret, & retineret apud se.

Cum si acri mentis acie, externam hanc formam, figuramque penetrantes, interiora ejus viderent, proculdu-biò bestiam ibi illam secundam, quæ *Apocal. 13* adorari faciat primam, latitantem invenirent.

Per primam bestiam Pontificem Romanum intelligo, qui ob secularem, quam sibi usurpat, potestatem, verissimus est Antichristus: quemq; Societas nostra per universum jam ferè mundum adorari facit, sempérque ut faciat, se quarto illo suo, & peculiari voto obstrinxit. Illud autem quod Servator noster, & dilectus ipsius discipulus Iohannes, & Propheta Daniel de brevi dicunt Antichristi tempore, de ultima est persecutio-ne intelligendum: quæ tunc erit, cùm

Matth. 24

Apocal. 13.

Daniel. 9.

Daniel. 8. bellua illa Germaniam, Bohemiam, atque alia imperia sibi nuper crepta, per secundam hanc bestiam, Societatem nostram, aliqua ex parte recuperaverit: multaque alia regna per eandem sibi adjecta viderit. Tunc enim divitiis aucta magnificabit corpus, & contra Principem Principum consurget, & sine manu conteretur.

Coadjutores spirituales (quo nomine omnes Sacerdotes, Theologæ ac Philosophiæ Professores, & artium inferiorum Præceptores non profisi cōprehenduntur) nuncupatis prius paupertatis, castitatis & obedientiæ votis, bestiam hanc adjuvant in pervertendis & traducendis ad primam belluam animabus: qua in re quò quisque aptior & diligentior extiterit, eò citius ad professionem admisus membrum hujus monstri efficitur.

Coadjutores verò temporales corpus hujus bestiæ curant, victimum atq; amictum ei præparantes, omniaque ne-

negocia domestica tractantes.

Scholaſtici denique & novitii in eum finem domi aluntur, ne monstrū hoc tandem deficiat aliquando : sed ut putrescentibus veteribus membris in recentioribus semper & novis conservetur.

Porrò autē ad perpetuō occultandam, conservandam & augendam superſitionē & idololatriam bestia hęc catulis ſuis intellectum (f quam habent) iപſumq; ſenſum ligat: dum monet & mandat ſerio, ut ea, quæ ſuperior jubet, cęca obedientia perficiant: quæq; iپſe facit, cęco judicio pertransiant, non conſiderantes an bonum vel utile ſit necne quod präcipitur: quandoquidem omnis ejusmodi cogitatio meritū tollit, & valorem obedientiæ. Qua quidem in re Societas Canonistas imitatur, pernicioſiſſimos Summorum Pontificū adulatores, & mundi totius ſeductores. Hi enim orbi Christiano quondam peruerterū, Romanum Pontificē tantæ eſſe dignitatis & authoritatis, ut, etiā ſi to-

*In epift. pat.
Ignatij de
Loyola que
ſingulis mē-
ſib. legitur
ad mensam.*

*Diflinc. 40
cap. Si Pap.*

tum ille mundum destrueret, nemo tamen ex ipso diabolici hujus facti vel posset, vel querere deberet rationem. Sic prorsus, immo multo pejus suos Societas alumnos instituit, cum docet: quæque Superior jubet, quæque ipse facit, non solum judicanda non esse (multò verò minus reprehendenda) sed etiam tanquam bona & sancta (ut Patris nostri Ignatii verbis utar) præsupponenda. Quò nimur omnis tandem stultitia, idolatria & superstitionis Sanctitatis nomen obtineant, locoque reliquiarum Societatis collantur. Ac mihi quidē videor satis te ad cognoscendam & palpandam religionem nostram circumduxisse: neque dubito, quin jam tandem intelligas, quam graviter in hoc vitæ genere deligendo decepti simus: quamque facile nobis, si ab eodē recesserimus, sit ignoscendum.

Horrenda sunt, inquam, ista Paule, & quidem ipse s̄epe istiusmodi visus sum in Italia monstra videre: sed intellectum, ut constitutiones nostræ jūbent,

*In eadem
epistola.*

bent, excæcans meum, illa à diabolo
conficta imaginabar, qui circuiret
quærens, quemadmodū mea me voca-
tione privaret, perq; hujus amissionē
in miseriam protruderet sempiter-
nam. Itaq; abominandis tu portentis
potius, quām fortissimis fretus argu-
mentis, & primam vocationem no-
stram, & Ecclesiam Romanam con-
vellere conaris: quod tibi uni si con-
cedam, non video, cur idem singulis
sectis omnium aliorum religionem
contemnentibus non concedendum
foret: cùm nihil non ex sacra scriptu-
ra à quovis ut sibi placet intellecta
probari posse videatur. Sed tamen
quia valde probabilia, quæ de istis
monstris commemorasti, sunt oni-
nia: reliqua verò evidētissima etiam,
ipsumque sensum convincentia, in
hisce tibi, homini omnium, meo judi-
cio, Iesuitarum doctissimo & ingenio
sissimo non repugnabo: quin etiam
excitare & excutere conabor, quam
præstigiis tu Iesuiticis obscuratam di-
cebas, & depravataim intelligentiam

meam, complicatamque animi mei
de Societate Iesu notionem evol-
vere, ut latius deinde explicet, quæ
nam sit species, forma atque notio
veri Iesuitæ, quem orbis Christianus
tantopere admiratur ac suspicit. Ut
autem tuo more ad ipsa me statim
Societatis fundamenta convertam,
quæ varia mihi hæc variis tempori-
bus visa sint, accipe. Divina prorsus,
mihi crede, primis diebus esse judica-
bami Societatis primordia: mihique
non amplius in terris, sed versari vide-
bar in cœlis: quod idem omnibus no-
stris novitiis, vel certè plurimis usu
venire puto. Nam tanta quotidiana
rum de rebus divinis nostrarum vis
est meditationū, ut homo veluti de-
nuò natus, non quidem ut antè à na-
turalibus parentibus, sed à societate
Iesu velut Iniesuanatus, non aliter
ac Christus à Spiritu sancto incarna-
tus, videatur. Testatur hoc tota fer-
mè hominis quasi deificata natura:
quippe quæ ab eo tempore, quo hu-
jusmodi sese dedit meditationibus, à

cor.

3

corporis obsequio , indulgentiaque
quam longissime recedit : carnis socie-
tatem flagris , aliisque voluntariis cor-
poris suppliciis ejicit : voluptatem
sicut labem aliquam dedecoris op-
primit : imaginem Domini Dei no-
stri (ut decima octava nostra jubet
regula) in quovis suo spirituali fra-
tre agnoscit : nec non despicit , con-
temnit , proque nihilo putat divitias ,
honores , atque omnia , quae vulgo
ducuntur amplissima . Et haec pri-
mo anno mea fuit de Societate I-
esu , firma sane , & constans per-
suasio .

Altero verò anno cum casu in lite-
ras nostras Iaponicas incidisset , ibi quis
inter cætera non sine admiratione le-
gisset : quod apud Iaponios etiam ,
antipodas nostros , religiosi quidam In communi-
tario de reb.
(quos lamambuxas , hoc est , milites in dicois &
convallium vocant) reperiantur , qui Iaponicis
ad famam sanctimoniac colligendam anno 1574
graviter sese puniant , permultum Coloniæ eas
vigilent , diutissimè jejunent , ac me-
ditationibus quibusdam arbitratu fol. 241. &
424.

suo compositis vacent: quodque his
 rebus adeò proficiant, ut non raro
 tanquam spiritu afflati divino funde-
 re oracula credantur, perfectique &
 sancti viri ab omnibus habeantur,
 tum præsertim, cùm propter idolum
 suum mortem sibi ultrò consciere
 non dubitarent. Hæc inquam, & multa
 hujusmodi alia cum ex literis illis, à
 nostri ordinis hominibus, & scriptis,
 & nunc etiam in lucem editis cogno-
 vissem, obstat scilicet, tamque co-
 horrui, quāni si ex astris in terram re-
 lapsus fuisset. Occurrebat enim
 menti meæ subitò, nihil nostræ inve-
 niri posse religioni similius: quare ve-
 hementer timendum esse, ne omnis
 hæc nostra spiritualis vivendi ratio nō
 divina sit, sed humana tantum, & phi-
 losophica: quod eam vel Idololatræ,
 & ethnici homines, Evangelii luce ca-
 rentes assequantur: & quidem tales
 ethnici, qui natura, moribus, ingenio,
 folio 445. nostris Europæis ingeniosioribus (I-
 talis puta & Hispanis) persimiles di-
 cuntur, quivis jam ut intelligat, à si-
 milibus

milibus naturis, & ingeniis similimas
 inventas & constitutas esse religio-
 nes. Quid, quod apud eosdem Iapo-
 nios non nostra tantum religio, sed
 tota fennie Ecclesia Romana ethnico
 spiritu fundata, constitutaque cerna-
 tur? Nam in iisdem literis commemo *folio 291.*
 ratur, Principem omnium in Iaponio
 rum imperio locum tenere supremū
 religionis antistitem: qui penè pro *folio 422.*
 numinē colitur, & vulgo sacrosan-
 ctus putatur sic, ut prohibeatur hu-
 mivestigia ponere, latissimeque im-
 perat; & cum profanis Regibus sape
 certat. Tundos etiam (qui sunt velut
 Episcopi) tametsi eorum nominatio,
 quæ dicitur, quibusdā in locis penes
 Regulos sit, cōfirniat tamē, & creat i-
 pse: qui deinde magno apud summos,
 infimosq; in honore sunt, sacerdotia
 conferunt, jejunia indicunt, carnis gū
 status, cum religiosis diebus ad idolo-
 rum delubra vulgo peregrinantur,
 concedunt. Nascentes præterea Bon-
 tiorum (qui Iaponii sunt monachi)
 sectæ, nullam auctoritatem, vel existi-

mationem obtinent, nisi eas idem
 suo diplomate & testimonio com-
 probaverit. Hi porrò Bontii amplissi-
 ma incolere dicuntur nostrorum ritu
 monachorum cœnobia, cœlibem vi-
 tam ducere, in phano medio aram
 excitare, in qua Amidae signum ligne-
 um, in rosa item lignea confidet, præ-
 clara ad aspectum: ingentes habere
 bibliothecas, cœnations ad cibum
 unâ sumendū, æramenta seu tintinna
 bula, quibus ad precationes horarias
 excitantur: vesperè Præfectum certū
 unicuiq; argumentum ad meditan-
 dum proponere: à media nocte ante
 aram templi alternantibus choris
 quasi matutinas recitare preces, è Xa-
 cæ libro novissimo: prima luce unam
 horam singulos meditando consu-
 mere: permagna cōstruere perystilia,
 & in iis Fotoquiorum (quo nomine
 Iaponii quidam sancti appellantur)
 facella: mento, capiteque esse raso:
 dies per annum festos celebrare mul-
 tos. Nihilominus tamen eosdem
 Bontios vita, moribusque esse tur-
 pissimos,

Ibidem.

p̄issimos, & omnium mortaliū avā
 rissimos, om̄nesque nosse conficien-
 de pecuniaē vias: vēndere populo mul-
 ta chirographā , quorum pr̄æsidio se-
 tutos fore à d̄emonibus vulgus existi-
 mat: mutuari etiam nummos, quos
 in altera vita duplicato reddant fœ-
 nore: dareque cautionis causa credi-
 tori syngraphas , quas secundū ē vita
 discedens deferat ad inferos: claro de-
 nique eos ut plurimum esse genere,
 eō quod Iaponii proceres multiplici
 prole onerati, quibus filiis satis am-
 plū patrimonium relinquere se pos-
 se diffidunt, hos ferē ad Bontiorum
 numerū aggregent. Christianos ho-
 ce diceres monachos, vel , si mores
 spectes, Canonicos, & Romanę Eccle-
 siæ pr̄elatos, si lux Evangelii vel tenui-
 tet eis ante nostrorum hominum ad
 ipsos adventum afflūsset: vel ullus o-
 mnino ad illos Christianus, ex quo
 hæc audita imitarentur, penetrasset.
 Sed neq; animarū cultus Iaponiis de-
 est, in quo tamen paulò magis, quam
 nos, sunt superstitioni. Nam Augusto

fol. 306.

mense integrum ipsi biddenum tribuer dicuntur colendis manibus mortuorum. Sub imminentem noctem in ædium foribus lampadas multas accendere, vario genere picturæ & ornatu: Inde urbem nocte tota partim religionis, partim spectadi causa perambulare: magnam etiam populi vim cum adveperascit, ex urbe, adventantibus suorum (ut ipsi videlicet opinantur) manibus obviam prodire: Vbi quendam ad locum pervenitum est, quo loco eos sibi occurrere arbitrantur, humanis primùm verbis excipere: Felix dicentes, faustusque sit vester adventus, jamdiu aspectus vestri fructu caruimus: considete parumper, ciboque vos ex itineris defatigatione reficite. Tum oryzam, arborum fructus, aliaque cibaria apponere: ibique per horam moratos quasi finem epularum expectent, eos precibus in domos suas invitare, dicere que, scilicet jam præcedere ut domum instruant, parentque convivium. Ut biddenum illud effluxit funeralibus accessis

sis plebem oppido egredi, lumina dis-
cedentibus præferentem (ne scilicet
in tenebris offendant , aut quopiam
incurrant) Inde in urbem reversos æ-
dium testa lapidationibus diligen-
ter excutere, ne qui fortè ex manibus
(à quibus nimirum aliquod sibi incō-
modum metuunt) occultè remanē-
tint. Interrogatos à nostris Iaponios,
cur illis epulum præbeant, respondis-
se, eos ad paradisum tendentes suum,
qui abest leucarum decies millies mil-
lena millia , quod iter non minus,
quam triennio conficitur, recolligen-
darum virium causa huc divertere.

In his autē omnibus regnare Bon- *Ibidem.*
tios , Iaponiorum sacrificulos, nem-
nemque esse re familiari, quamvis e-
xigua, quin ad expiandos ritè suorum
manes , Bontiis munus aliquod affe-
rat. Mitto jam brevitatis gratia aquā *fol. 419.*
Iustralem: vascula vaporaria suffimen-
ti causa prunis imposita : multas & *fol. 444.*
magnas indulgentias, quas Bontii po-
pulo in concionibus perseveranti, & *fol. 432.*
cœnobia ipsorum ditanti proponūt:

globulos precarios, quos permulti Ia-
 ponii non solum privatos inter parie-
 tes, sed in publico, totaque urbe ferè
 semper manu percurrunt, ab Amida,
 Xacaq; divitias, honores, prosperam
 valetudinem, sempiterna gaudia sup-
 pliciter postulantes. Quæ quidem us-
 que adeò vera sunt, ut & à nostri ordi-
 nis hominibus visa, perscriptaq; sint:
 & penè ipsa etiam nostri Patris Petri
 Maffei, qui literas illas ex Italico idio-
 mate in Latinum convertit, verba u-
 surparim. Atq; hæc altera mca fuit de
 Societate I E s v , totaq; Romana Ec-
 clesia opinio, vel potius, ut Confessa-
 riis dicebat meus, tentatio: quam vix
 multis diebus ex animo tandem meo
 exclusi, omnem ejusmodi yim ratio-
 num dies, noctesque in mentem me-
 am irrumpentium, precibus jacula-
 toriis, ut vocant, jejunis & aliis corpo-
 ris afflictionibus constanter repellen-
 do. Hac autem vixdum devicta tenta-
 tione, ecce tibi repente alia, quæ vitæ
 mihi vix reliquam faceret. Nam pau-
 ïo post accidit, ut in prandio nobis

pro

pro spirituali cibo prælegeretur 18.ca-
put tertii libri Regum : ubi de Sacer-
dotibus Baal narratur, quod ad suum
ipsi placandū Deum cultris se, & lan-
ceolis incidentes sanguinem emise-
rint. Quo audito(nondum videlicet
Theologus eram, neq; tota adhuc sa-
cra biblia perlegeram) equidem toto
corpore exhorrei , omnemq; come-
dendi sensum & appetitum amisi: no-
strorum nimirum recordans flagello
rum , quibus tanquam cultris & lan-
ceolis in nostra ipsi terga fævientes ,
non parum aliquando sanguinis eli-
cimus:atque haud scio , an ut Iaponii
illi lesuitæ (quos Iamambuxas vocari
dixi) mortem tandem ultrò nobis in-
ferimus, sanitatem quidem certè cri-
pimus . Verùm isti & istiusmodi sex-
ceti alii spiritales scrupuli à me in So-
cietate excepti , vereor ne leviores
sint,quām ut tibi, homini gravissimo
enumerētur, & ad cognoscendū pro-
ponantur . Quocirca reliquis omni-
bus omissis , duo tantum sancta & ca-
tholica,id est, Italica monstra, & idola,

quorum patrocinium Societas no-
stra peculiariter suscepit, & de quibus
per decem jam annos labore, ea ut
mihi catholica effecta, sancta quoque
facere possim, describere conabor: ex
quo tuam, de Societate I E s v, & Ro-
mana Ecclesie sententiam in omnem
æternitatem confirmari & corrobor-
ari senties.

Alterum igitur horum idolorum
vidi Romæ in phano D Petri, quod i-
dolum vulgo appellant Vicarium
Christi: ego vero illud vel ipsum
Christū, vel quid majus etiam Chri-
sto propterea existimabam, quod o-
mnis populus, qui religionis causa eō
confluxerat, simul ac illud in sublimi
solio positum manibus rubrorum
hominum, Seraphinorum instar an-
gelorum, ne forte ad lapidem pedem
suum offenderet, afferre vidit, sta-
tim in genua procumberet, pectus
suum tunderet, multaque id genus
alia, quæ soli Deo conveniunt, fa-
ceret.

Psal. 90.

Proh Christe sancte, animus tunc

ex-

exclamabat meus, quo usque quæso,
 tibi ferendum videbitur, ut quantum
 ipse te verus Deus humiliaveris in
 terris, tantum Vicarius tuus, homo
 duntaxat, super omnes sese efferat, &
 extollat cœlos? Ut cum nullū tu hīc
 regnum habueris, imò Regnū tuum *Ioan. 18.*
 non esse de hoc mundo dixeris, nul-
 laque regia usus maiestate fueris: Vi-
 carius tamen tuus omnium jura pos-
 sideat regnorum, omnesque Reges,
 teque etiam Regem Regum huma-
 na, divinaque vincat pompa & maje-
 state? Ut cùm discipulus tuus Petrus,
 qui primus Papa fuisse dicitur, Cor-
 nelium Centurionem sibi ad pedes
 ne jacere quidem, nedum eos oscula-
 ri sit passus, sed statim illum crexerit:
 Surge, inquiens, & ego ipse homo
 sum: Successor tamen ejus se homi-
 nem oblitus, sicut Deus istic aliquis
 sedeat, cuius ipsi homines deosculen-
 tur pedes? Sed tamen revocavi me
 statim, & reduxi ad nōnullam animi
 æquitatem hoc quasi mecum habito
 colloquio: Est certè, inquam, omnino

Acto. 10.

Pontifici Romano ejusmodi pompa
& maiestas necessaria ad alliciendos,
in officioq; retinendos superbos Im-
peratores, Reges & Principes hujus
mundi; ad perstringendos oculos vul-
gi, ut quod humilitas efficere apud
hujusmodi homines non possit, id sal-
tem præstaret vanitas: ut cum pro-
prio sanctitatis & virtutis splendore,
sicut Christus, Apostoli, & alii sancti
viri, dignitatem tueri suam non pos-
sit, eam fulgore saltem alieno defen-
dat: ne cum priisci Romani toti quon-
dam mundo dominarentur, si Ponti-
ficiis Romani potestas non ad cœlos
etiam & tartara, vel Purgatorium in
hunc usum confictum extenderetur,
Papa minor illis, aut saltem æqualis
vidcretur: ut quemadmodum sum-
mus Romanorum Deus, Iupiter Opt.
Max. quosdam fulmine fngitur ad in-
feros deturbasse: sic Romanus Pon-
tifex suum terrificum haberet excom-
municationis fulmen, quo omnes
Christianorum animas attonitas red-
deret, casque contra ipsius poten-
tiam

tentiam vel hiscere audentes, ultra inf
fers etiam, si fieri possit, de jiceret: ut
denique, sicut iidem illi rerum domi
ni amplissimum suum, purpuraque
fulgentem magistratum habebant, ex
quo alii Principes erant civitatis, a
lii instar Regum exteris imperabant
nationibus: sic Papa Romanus non
solum Episcopos tanquam Principes
haberet, sed Cardinales etiam, Purpu
reosve Patres: qui summis Regibus e
quarentur: ex quibus solis instinctu
Spiritus sancti Vicarius Christi elige
retur. Quasi verò ut Cathedra Petri
urbi Romæ, sic Spiritus sanctus alli
gari non possit Cardinalibus, foetidissi
mis certè ac turpissimis libidinum
& ambitionum cloacis. Ipse enim sua *Iesaiæ 66.*
sponte tantum in quietis, seu mode
stis & humilitate præditis hominibus
quiescere se velle dixit: invitus autem
& alligatus, ubicunque Romana ve
lit Ecclesia, permanere cogitur. quan
quam hic semper mens mea recla
mabat, quod non tam arcte Spiri
tum sanctum sibi & suæ alligarint Ec-

clesiae, quin vigesies & septies ejus
 præsentia destituti, viginti septem il-
 la, quæ in tabulis Pontificum visun-
 tur, excitarint schismata: quæ certè
 perpetuum dicerent contra spiritum
 sanctum testimonium, omnemque
 ejus vim & potestatem redarguerent.
Quid enim? erroris & dissensionis
 author numen potest esse divinum?
 Hoc loco cùm urgentur, non disces-
 sis se tunc dicunt à Romana Ecclesia
 Spiritum sanctum: sed errore atque
 ambitione hominum monstrorum
 Ecclesiæ caput, modò biceps, modò
 triceps extitisse: ex his autem omni-
 bus semper unum tantum verum &
 legitimum fuisse. O monstrorum
 Spiritum vestrum sanctum, monstrum
 quamque Ecclesiam, quæ errore, ac am-
 bitione vestra toties, totque sibi ca-
 pita afficta sustinere, per tot annos
 circumferre, tot mortalibus ad er-
 rorem, abominationem & despe-
 rationem obtrudere cogatur. næ c-
 go istud monstrum, quod toties jam
 duo, aliquando etiam tria simili
 capi-

capita habuit, facile septem simul *Apoc. 13.*
monstrosa vestra libidine, ambitio-
neque capita acquirere posse video.
Sed de primo isto monstro seu idolo
satis.

Alterum autem idolum vidi Lau-
teti, quod Itali vocant, la Madonna
di Loreto. Est autem imago picta, ut
dicitur, à S. Luca Evangelista, atque
eā ob causam mirabilium operum
effectrix prædicatur. Non queo ver-
bis assequi, quanta sit idoli hujus reli-
gio, quanta ipsius miraculorum per
totam Italiam fama. Hoc unum Italis
est cunctis, sive repētino aliquo mor-
tis periculo percūsis, sive ægritudine
aliqua laborantibus, in ore. Huic om-
nes in tali statu vota faciunt, munera
promittunt, peregrinatione inque ad
ipsius templum pollicentur. Quòd
si accidat imminenti aliquos pericu-
lo, morbōc liberari, illico miraculū
exclamat, promissa solvenda statu-
unt, Lauretanamque profectionem
fusciunt. Itaque concurrit ex om-
nibus Italiæ partibus Lauretum quo-

tidie dona innumera afferuntur, tabellæ pictæ totam miraculorum seriem exprimentes in templo suspenduntur. Commovebat me sane primo aspectu tabellarum infinita multitudo, aliquidq; ibi regnare divini suscipabar. Verum ut proprius accedens eos inspexi, facile cognovi, stupentis illa populi atque sensu (quem ferè solum habet) Deos sibi sensibiles quærentis esse deliramenta. Nam hic quæpiam pictum cernebam pendentem in equuleo, votisque Virgini Lanretanæ factis omnia illa tormenta ferentem fortiter: illic alium ex feroci corrumento equo, mortis tamen fatum evadere: hic quosdam ægrotantes ejusdem invocatione in pristinam sanitatem restitui: illic alios, eosque navigantes simili voto maritimam procellam, tempestatemque effugere. Quas tamen ineptias ipse quondam Romanarum superstitionum diligens observator Cicero explosisse videtur, de natura tractans Deorum, de quæ Diagora Philosopho, Romanorum Deos

vidente ita scribens: Cùm Diagoras *In 3. de nat.*
 Samothraciam venisset, atque ei qui- *Deor. libro*
 dam amicus: Tu qui Deos putas hu- *non longè à*
 mana negligere, nónne animadver. *fine.*
 tis ex tot tabellis pictis, quām multi
 votis vim tempestatis effugerint, in
 portumque salvi pervenerint? Ita fit,
 inquit. Ili enim nusquam picti sunt,
 qui naufragium fecerunt, in marique
 perierunt.

Acutum sanè ac Philosopho homi-
 ne dignum responsum, quo satis aper-
 tè significavit, tales non Iovis, non Lu-
 nonis, non Neptuni, non aliorū, qui-
 bus vota fecerant, Deorum ope fer-
 vatos fuisse: cùm plures alii, iiq; mul-
 tò fortassis his, qui mortē evaserant,
 meliores, similibus factis votis, flucti-
 bus tamen hausti periissent: sed cùm
 omnes ferè in periculo constituti ad
 aliquem ejuscemodi configere so-
 lerent Deorum: accideretque səpissi-
 mè, ut causæ naturales vehementius
 incitatæ, mortemque minitantes, in
 medio deinde cursu vel impeditæ,
 vel per se attenuatæ repente salutis

spem afferant, sine ulla ratione esse
 etum hunc fictis commentitiisque
 Diis adscribi. Hoc idem nostris accidit
 Italiam in colendo Idolo Lauretanum, ta
 bellisque pietatis ei offerendis: quia
 cum tota fermè Italia huic vota fa
 ciat; & necesse sit quodammodo in
 tanta hominum multitudine aliquos
 saltem, sive singulari ope divina, sive
 viribus etiam naturae, voti sui com
 potes fieri, & aliqua interdum naturae
 miracula existere, stolidè haec & stulte
 Virgini Lauretanæ attribuuntur: nisi
 negare forte velint, quod eodem mo
 do, eademque de causa olim apud
 Enneries etiam, in Sicilia (ut idem
 Tullius testatur) simulachrum Cere
 ris multis saepe prodigiis (ut verbis e
 jus utar) vim suam, numenque decla
 rarit: & multis saepe in difficilimis re
 bus praesens ejus auxilium tulerit. Sed
 haec, ut dixi, ferè vulgus tantum vul
 gique similes sectantur. nam docti co
 rū Philosophi, Medici, necnon Theo
 logi, dignitate aliqua Ecclesiastica
 non definiti, non modo haec Laure
 tanæ

*In 6. orat.
in Verrem.*

tana miracula, sed ipsam etiam fidem Romanam (quod facile cùm Neapoli essem, ubi non nihil illis ab inquisitione papali respirare licet, intellecterim) tanquam fictam, & falsam animo contemnunt: quin etiam aperte athei illi nomen Christiani ridebant meum, quod Italico idiomate per hominem Christianum, stupidum & stolidum significare ac intelligere soleant: idque propterea credo, quod nemo illis, nisi stupidus & stolidus ad Chimæras papales credendas aptus & idoneus videatur.

Hæc mihi ferè in mentem veniebant, quæ tuo excitatus, & nescio quomodo illuminatus sermone, dicenda putarem de Societate I E s V, de que suis, quæ ipsa præcipue colit & veneratur, idolis. Tum Paulus fortibus me oculis intuens: Non quæram, inquit, posthac amplius tantæ cæcitatis Iesuiticæ causas, excusationes non recipiam: si in te tamen potuit veritatis lumen institu-

tione Iesuitica depravari, ac prope-
modum, nisi ipse, credo, huc divini-
tus venissem; extingui, quid ego in
obscuris & tenebris oculis aliorum ani-
mis non fieri existimem? Quæ cùm
dixisset, finitæ signum nostræ recrea-
tionis dabatur, & uterque nostrum
compresso, ut sit, sermone in suum
cubiculum re-
cepit.

DE

DE BESTIA

LISSIMA IDOLO

LATRIA, QVAM IN A-
DORATIONE PANIS ET VINE

renovat Societas, I E S V divino sub
cognomento latitans secunda bestia,

Paradoxa sex conscripta per Chri-
stianum Francken Gar-
delebiensem.



BASILEÆ.

M. D. LXXX.

OMNIBVS PIIS
ET ORTHODOXIS
CHRISTIANIS CHRISTIA-
nus Francken pacem, & salu-
tem ex inimicis.



Irabilis prorsus iudicio ego factum divino puto, fratres mihi in Christo venerandi & dilectissimi, quod adhuc cresces, & tenera, quae aetate viribusque confirmata, aeternam omnibus afferre salutem debebat, Christiana religio, in omnium statim, ut gentium, ita superstitionum dominam, Romanam urbem delata, ibique ethnicis ritibus, ceremoniis, interpretationibus vestita, depravataq:, ad multas nationes, per mille ac quingentos,

eo-

eoque amplius annos vera per-
venire, sinceraque non potuerit.
Nam cum idolorum cultus ad-
eo insitus & innatus sit Roma-
nis, ut vel nostro tempore Pius
V. Pontifex Romanus, qui ab il-
lis pro sancto colitur, Romam
adhuc magis gentilizare, quam
Christianizare (ut verbis eius u-
tar) dicere coactus saepe fuerit:
certe sapienti homini dubium
non erit, quin & prisci Romani
& Romanorum similes, qui pau-
lo ante non Solem, non Lunam,
non alia longe posita sydera, ut
multæ nationes: sed præsentia
Iovis, Martis, & aliorum, qui
nusquam sunt, Deorum simula-
chia adorare, thure accæreis ho-
norare, eisque sacrificare consue-
verant: quin hi inquam, & ho-
rum successores audientes, vel le-

gentes, Christum de pane dixisse: Hoc corpus esse suum, et de vi-
no: hunc sanguinem esse suum, sta-
tim illud pro consuetudine adi-
dololatricam præsentiam traxe-
rint, & (quod peius est) ethnicū
etiam ex eo sacrificium fecerint:
sicque vanum idolorum cultum
in bestia iam idololatriam
commutarint. Cum nulla, un-
quam gens fuerit, nec tam fera &
barbara, quæ panem & vinum
pro Deo coleret & adoraret: nec
tanta stultitia & insanía, quæ
Deum suum, etiamsi posset, im-
molare, quodammodo mactare,
& integrū devorare vellet, cum
intestinis etiam, atque iis, que in
his forte ab ultimo prandio, cœ-
náve residerent, ciborū reliquiis.
Et sane si usq; eo fornicationis sue
poculum in religionem Chri-
stia-

stianam effuderunt, ut ex sacra Eucharistia sacrificium Romanum fecisse, idque Germaniae, Galliae, atque aliis nationibus pro vera, mystica, incrueta Christi immolatione obtrusisse demonstretur: quis iam non sapiens solùm, sed sanæ mentis homo dubitare poterit, quin ex eodem abominationis calice idololatricam illam suam corporis & sanguinis Christi præsentiam in orbem Christianū derivarint? Imo ipse iam omnibus Italicis superstitionibus imbutus Caietanus Cardinalis hac dere dubitare cœpit, cùm scriberet: Romanā Chri-
In commen-
tarijs in ter-
tiam partē
Thomae Aqui-
natis q-
stion. 75. ar-
tic. I. initia-
statim.
 sti in hoc sacramento præsen-
 tiam, ex verbis illis suis: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, nisi ad ea Romanæ inter-
 pretatio accedat Ecclesiæ,

evidenter demonstrari non posse: quippe quæ iure optimo aliū possint sensum admittere, non secus ac, inquit, hæc Apostoli verba: Petra autē erat Christus. Quem cardinalem hanc unam ob causam summus Jesuitarū in Romano Collegio Theologus, Jacobus Paitz, tanquam incaute locutum, frustrā in suo de Eucharistia tractatu reprehendit. Evidem hanc esse eius, quam dixi, idololatriæ causam, præter suam illam aliquam ipsorum confessionem, atque eas, quas & in his paradoxis posui, et ipsi nunquam dissolvent rationes: duo me potissimum commoverunt, & ad hoc firmissime credendum impulerunt. Quorum alterum est, quod nostri Romanī, non vivum solū, & invisibilēm,

lem, panis nimirum, vinique spe
 ciebus coniectum, sed mortuum
 etiam & visibilem præsentem si-
 bi Christum singunt. Etenim
 Romæ in phano Iohannis Late-
 ranensis, apud basilicam Princi-
 pum Apostolorū, Petri & Pau-
 li, duæ sunt, quas ipse sœpe ado-
 lescens religionis causa sum deo-
 sculatus, æneæ columnæ, plenæ,
 ut aiunt, terra sancta, Christi san-
 guine tintæ: multiscq; aliis in lo-
 cis quædam adhuc eiusdē sanguini-
 nis guttæ pro reliquiis asservan-
 tur. Et tamen fatentur omnes,
 humanam Christi vitam sine san-
 guine esse nullam: quare etiam,
 non potuisse totum à mortuis
 Christum resurgere, eandemque
 numero vitam per sanguinis ef-
 fusionem amissam recipere, nisi
 eundem quoque & totum inter-

ram effusum sanguinem recolli-
 geret, fateantur necesse est: cùm
 præsertim Christi corpus tem-
 peratissimum superflui sangu-
 nis habuerit nihil. Iam vero cùm
 ipsi possidere se Christi sangu-
 nem prositeantur, certe non con-
 tenti vivo, mortuum etiam Chri-
 stum præsentē sibi fingunt. Alte-
 rum autem est, quod plurima,
 quæ ad hanc rem confirmandā
 afferuntur, miracula ex diametro
 cùm ipsorū doctrina, seu Theo-
 logia pugnant: facile ut appare-
 at, utramque ab illis idolola-
 triæ causa esse confictum. Ex
 his autem miraculis brevitatis
 gratia unum vel alterum tantum
 in medium producam. Ac pri-
 mò quidem maximi ab illis fit,
 quod de confixis à Iudæis, & san-
 guine manantibus hostiis vul-

go' narratur & scribitur: cùm ta-
 men omnes eorum Theologi
 & doceant, & necessario docere
 debeant Christum iam immor-
 talem nihil amplius pati, mor-
 tem illi ultrà non dominari: *Rom. 6.*
 quod certè falsum esset, si pro-
 prius ibi, & suus fuisset sanguis
 effusus, nisi forte Christum fal-
 lacissimum facere præstigiato-
 rem velint, qui vel alienum ibi
 posuerit, vel novum sanguinem
 creaverit, quem homines ipsius
 esse, atque ab eius effusum cor-
 pore arbitrarentur. Deinde non
 minoris illud faciunt miracu-
 lum, quod de Vdone Archiepi-
 scopo Magdeburgensi serio nar-
 ratur in eo, qui speculum exem-
 plorum inscribitur, libro. Ex
 huius enim visceribus & ore,
 antequam capite plecteretur,

Virgo Maria sacras hostias de-
sumpsisse, ac in calicem misisse di-
citur. Atomnes eorum sacri cla-
mant doctores : Christi corpus
nequaquam more cibi commu-
nis in nobis permanere, aut in
nostram substantiam converti:
sed corruptis a calore naturali
speciebus, statim inde migrare.
Quocirca non potuit ulla ratio-
ne Maria filii sui corpus accipe-
re, ubi non manserat. ni suo for-
tassis more nugari, dicereque ve-
lint : novo Christum miraculo
in flagitiosissimo illo homine,
tanquam in fœtidissima aliqua
cloaca corpus suum conservare
maluisse, quam in piis & san-
ctis viris. Sed huic iam finem
præfationi impono , obnixe-
que vos omnes , viri orthodo-
xi, rogatos volo , ut pauca hæc
mea,

mea, & in itinere conscripta para-
doxa vestri splendore nominis
nequaquam digna, quo tamen
animo suscipere velitis: id quod à
vobis nullo petere modo auderē,
si alicuius præmij, vel lucri cu-
piditate, & non potius omnium
vobiscum defendendæ salutis de-
siderio, speque eius ab orbe Chri-
stiano repellendæ bestiæ, quæ ad
hanc, de qua dixi, idolatriam
tam studiose ipsum reducere co-
natur, impulsus, illa vobis potissi-
mū dedicasset. Valete in Domi-
no plurimum. Basileæ, v.

Octobris, anni

1579.

DE BESTIALISSIMA IDOLOLATRIA;

QVAM IN ADORATIONE PANIS & VINI ROMANA COMMITTIT BELIUA, QUAMQUE FIDISSIMA HUJUS RENOVAT SOCIA, IESUS V DIVINO SUB COGNIMENTO LATITANS SECUNDA BESTIA, PARADOXA SEX CONSCRIPTA PER CHRISTIANUM FRANCKEN SAXONEM.

Quod Christus ex cælo in terram à lesuitis res
trahatur, ibique symbolum refellere Apostos
Hilium cogatur.



Dorandæ Eucharistie nullam aliam afferunt, nec afferre adversarij nostri possunt causam, nisi Romanam Christi in ea, diuq; permanentem presentiam: cum autem unus & idem sit, alio duntaxat modo in cælo, & in Eucharistia existens Christus, meritò in-

inquiunt, in hoc illum Sacramento,
 ut & sacra scriptura, & ratio etiam ju
 bet ipsa, tanquam dominum Deum
 nostrum adoramus. Sed multis ego,
 & in omnem æternitatem istiusmodi
 veritatis hostes convicturis rationi
 bus demonstrabo, non posse ibi esse
 Romano more corpus & sanguinem
 Christi: nihilq; proinde illis adoran
 dum, præter panem & vinū relinqui.
 Nam ex communi Theologorū Phi
 losophorumq; sententia omnium cū
 verum vero non repugnet, sed conso
 net potius, faveatq; hæ autem, ut exi
 tus declarabit, rationes sint veræ, Ev
 angelica, quæ contrarium ostendere
 videtur, testimonia, quo ab ipsis intel
 ligitur modo, erunt falsa: ad velandā
 tamen idolatriā accōmodatissima,
 facile ab idololatris tot antè annis, ut
 sonant, arrepta fuisse cōstabit. Atq; in
 primis Christū ab illis retrahi ex cœlo
 in terrā arguo, ibiq; perpetuò manen
 tem, & ventres ipsorum, non mentes
 subeuntem, symbolum cogi Aposto
 licum refellere. Quid ita? quia collo

Deuter. 6.

C 10.

Matt. 4.

Luc. 4.

cari aiunt in sacra synaxi Christum;
 non tamen per creationē, neq; gene-
 rationem (alioqui nō eundem & an-
 tiquum illū suū, sed aliū semper,
 & novum comedērēt Deum) alicun-
 dē igitur huc adveniat, necessā est. Sed
 unde, quæso, nīsi ex cœlo? Si autem ex
 cœlo, quomodo ibi sedens ad dex-
 tram manet Patris, indequē ventu-
 rus judicare vivos dicitur & mortu-
 os? Non hoc inquiunt pācto Christus
 in Eucharistia sit præsens, quasi ex u-
 no in aliū locū transferatur, ex cœ-
 lo in terrā dēducatur: sed per trans-
 substantiationem, seu conversionem
 totus sub utraque specie Dei filius
 statuitur. Ita ferē semper, quando re-
 ipsa non possunt, fictis ac monstrosis
 nominibus nostras suspenſas mentes
 tenent, stultissimeque illudunt: ut
 quoniam eundē in hostia, qui in cœ-
 lo est, l e s v m habere volunt, viam au-
 tem omnē, quā ad hanc perducatur
 perpetua veritate septam & interclu-
 sam vident, transubstantiatione saltē,
 & conversione, tanquam occultissi-
 mis,

mis & qui ab humano ingenio investi
 gari non possint, cuniculis, illum eò
 perduci dicant. Quasi verò, cùm ante
 consecrationem ibi non fuerit, nec
 ullo ex loco venerit, neque de integrò
 productus fuerit, ideoque nullus ac-
 cipiendi in speciebus Christum reli-
 quis sit modus, nudum & fictum
 transsubstantiationis nomen rem pos-
 sit tantam efficere. Sed ut possit, ést
 ne hic idem, qui ad dextram Patris se-
 det filius? Est planè, inquiunt, quoni-
 am idem corpus si non naturaliter, at
 divinitùs & sacramentaliter in mul-
 tis potest esse locis. Siquidem hoc
 tempore totum Christi corpus nō in
 cœlo tantū, sed in Italia, in Hispania,
 in Germania, in Gallia, & in multis a-
 liis regionibus, atq; in his ipsis super
 plura adhuc altaria, & in istis sub pluri-
 bus adhuc speciebus, ac in his sub plu-
 ribus adhuc partibus specierū reperi-
 tur. Hoc respōso quia per multos jam
 annos triumphant, efficiam profectō,
 ut posthac triumphare cessent. Di-
 vinitùs & sacramentaliter integrum

Christi corpus tam multis, iisq; disjun-
 ctissimis est in locis? Cedò igitur, quo-
 nam vinculo, quave unione ex corpo-
 re Christi existente Romæ, & in cœlo
 (ut innúmera alia, ubi esse dicitur, o-
 mittam loca) fiat idem, & unum. Nam
 ea corpora, quæ aliud quippiam inter-
 se positum habent, non sunt conjun-
 cta & continua, sed disuncta & conti-
 gua: hacq; ratione nō unum, sed duo
 sunt, vel plura corpora. Atqui inter
 species panis continentis Christi cor-
 pus Romæ, & ipsum Christum in cœ-
 lis existentē, immensum sanè spatiū,
 plurimaque sunt corpora interposita.
 Ut igitur in hisce ac omnibus aliis lo-
 cis Christi corpus sit sacramentaliter,
 sacramentalem quoque inter Chri-
 stum in cœlo Empyreo sedentem, &
 omnes intermedios orbes cœlestes,
 & subjecta his proximè elementa, &
 altaria, & hostias consecratas unionē
 constituatis oportet. Quod certè por-
 tentum esse aliquod dicetis: cur igi-
 tur & illud, unde hoc nascitur non vi-
 detis? Verū etiam hoc vestrę conce-
 datur

datur stultitiae, veniat finitum Christi
 corpus in tam multa vel infinita, si es-
 sent, loca: audiamus saltem ex vobis,
 quemadmodum inde discedat, & quo
 nam sese conferat, in cœlumne, an ad
 alium, qui tum fortè consecratur, pa-
 nem? Fatemini namque omnes, non
 semper Christi corpus sub speciebus
 permanere, sed quoad hæ integræ in-
 corruptæque perseverant: destructis
 autem, sive à calore naturali, sive à
 vermibus, sive ab aere circumfluen-
 te, speciebus, statim inde Christum
 quoque discedere. Sed quorsum, &
 quo tandem modo? Desinit clama-
 tis in scholis vestris, desinit ibi tunc
 esse ita, ut neque in cœlum, ex quo
 nunquam discessit, revertatur: ne-
 que ad aliud altare, quod tunc for-
 te, ubi consecratio fieret, nullum es-
 set, proficiscatur: neque ullo modo
 intereat, & corrumpatur. O indi-
 gnam homine ratione prædicto do-
 ctrinam? Si uspiam corpus esse ali-
 quod definat, illud tamen neq; disces-
 su, neque interitu ibi definere. Quid,

quæso , magis contra omnem est rationem? Theologia autem et si ea docet, quæ sunt supra rationem & ~~υπερφυσικὰ~~^{υπέρ}. ~~φυσικὰ~~, non tamen quæ contra & ~~αντίφυσικὰ~~^{αντί}. Christum autem non permanere sub speciebus corruptis, & tamen inde non discedere , & aliò pervenire manifestissimè rationi repugnat. Quid quòd hæc corporis & sanguinis dominici desitio unionem Christi hypostaticam dissipet atque dissolvat? Verbum enim æternum cùm immutabile sit & infinitum, ubique & esse & permanere dicitur: manet igitur sub speciebus etiam destrutis . At ibi ante corruptionem specierum corpus & sanguis Christi hypostaticè illi erant unita: jam vero cùm hæc ibi esse desierint, quomodo sub speciebus corruptis non facta est, si que singulis diebus dissolutio naturæ humanæ à divina? Vel si finita, & quæ ubique esse non potest (ut vos fatemini) humana natura secum defert eam , cui semper unita manet, divinitatis portionem, quomodo

do divinitas immobilis & immutabilis semper perseverat?

Παράδοξον secundum.

Quod transsubstantiatio totum paulatim mundum, ad nihilum reducat, omniumque tandem resurrectionem mortuorum tollat.

 ED ipsa nunc sola, si placet, transsubstantiatio prodebat: ut monstrosa hujus Chymæræ, prodigiosaque natura, hactenus non satis perspecta, tandem jam aliquando cognoscatur, totaque ex orbe Christiano explodatur. Transsubstantiatio, inquiunt, est conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi: & hoc quidem ita dicunt, ut nihil substantię panis & vini remanere, sed totam utriusque rei materiam, formamque interire velint. O immensam horum, quæsto, omnes, qui sapitis, dementiam Theologorum cognoscite. Quoniam panis & vini non formam solūm, sed materiam etiam perire volunt, & totum paulatim

mundum in nihilum interire, & omnium tandem tolli resurrectionem mortuorum fateantur necesse est. Mundus enim qui partim tot ante annis non perierit, partim nunc periret, partim consequentibus annis peritus esset, sublata omnibus hisce temporibus per infinitum, panis, viniq; in

In 4. Sent. orbe Christiano consecrati numerum,
diss. 12. art. materia? Nova, inquit Thomas Aquinas, corruptis speciebus à Deo creatur materia: quæ in locum prioris succedat, tantamque ruinam reficit. Novum igitur & jam aliqua ex parte habemus, & tandem totum beneficio transsubstantiationis habebimus mundum. Et hoc saltem tempore cum innumeræ sint in Romana Ecclesia consecratæ hostiæ, in quibus omnibus vi consecrationis materia panis interiisse dicitur, falsum relinquetur cœleberrimum illud philosophorum omnium, etiam Christianorum proloquium: Tantam jam esse in mundo materiam primam (ut posse pingenerabilem & incorruptibilem)

lem) quanta semper ab initio fuit. Resurrectionem porrò eadem de causa tolli mortuorum quis nisi cætus non videt? Materia enim prima, quæ dicitur, omnium est capax formarum: cum eadem materia, quæ modò hanc, vel illam *cū τελέχθων* sustentat humānam, mox cadaveris suscepitura sit formam: tum vermium & elementorum: sicque deinceps quascunque alias appetiverit, nactuña sit formas, variarum, præsertim (ut in cœmiteriiis videre licet) herbarum, nec non tritici & aliarum plantarum. Ex hac autem tritici, quæ quondam hominis fuerat, materia accidit fieri hostias: in quibus deinde per transsubstantiationem tota ad nihilum materia reducitur: nihil igitur ille omnesque alii, quibus idem acciderit, retinēbunt sui, quod in universalī corporum instauratione recipere possint: *Ibidem.* cū præsertim illud idem numero, ut ipse Thomas Aquinas fatetur, quod ad nihilū est redactum non possit à Deo restitui.

Παρεγγέλματα tertium.

*Quòd falsa consecrationis verba, verum in
Eucharistia Christum præsentem efficiant.*



Magnam, exclamant, divinorum vim virtutemque
verborum: quæ ritè, perfe-
cteque prolata tot simul
efficere miracula queant. Nam simul
ac de pane dicitur: hoc est corpus me-
um, & de vino: hic est sanguis meus,
tota statim panis, vinique substantia
deperditur: & cùm nihil illius rema-
neat, non tamen annihilatur: totus
que sub utraque specie Christus nul-
lo ex loco adductus, non secundum
humanam tantum, sed divinam eti-
am, quæ antea ibi & ubique erat, na-
turam, denuò tamen collocatur. Me-
ritò sanè tantopere hæc admirantes
paucorum quasi incantationi adscri-
bunt verborum, qui illa ipsa verba ita
intellecta, contra suam & Grammati-
cā & Philosophiam & Theologiam
facere necedum intelligunt. Contra
Grammaticam quidem, quia prono-
men

men, hoc, statim atque profertur, alius
cujus rei praesentis est demonstratio-
vum: tunc autem cum eo quidem
pronunciato, nondum tamen omnia
consequentia sunt prolata verba, non
adesse aiunt, sed affuturum Christi
corpus: rem igitur absentem ibi, & fu-
turam demonstrat potius, quam praes-
sentem: proindeque non impropriā
modō, & metaphoricam (quod om-
nes negant) sed alienam etiam & con-
trariam (quod ipsa rerū, nominumq;
natura detestatur) induit significatio-
nem. Contra philosophiam vero,
propterea quod, cum omnis causa, si
non tempore, at natura suum præce-
dat effectum, & consecrationis illa
verba causa sint, cur praescens sit in Eu-
charistia Christus, & catenus sint cau-
sa, quatenus verum significantia Chri-
sti corpus & sanguinem, hec praesentia
efficiunt: necessario prius in se esse de-
bent vera, ut verū significando effectū
producant. Atqui non in principio,
non in medio, sed primū eorum in
fin everborum presto esse dicunt cor-

pus,& sanguinem Christi: in fine autem
 ut verba non sunt, ita neque amplius
 significare,& vera esse possunt: in omni
 igitur & tempore,& instanti (ut vo-
 cant) naturæ, quo verba hæc proferun-
 tur, prolataque; significant, omnino sūt
 falsa. Siquidem prius, saltum natu-
 ra, hoc esse corpus, hunc esse sanguine
 significant, & etiam demonstrant, quā
 corpus ibi, sanguisque; adsint. Falsum
 autem qui esse potest causa veri? Con-
 tra Theologiam denique, quia omnes
 eorum docent Theologi: verba con-
 secrationis illud efficere, quod signifi-
 cant: & tamē totum sub utraque; specie
 Christum esse dicunt. Atqui neque
 solum corporis, neque sanguinis no-
 men, totum significat Christum: divi-
 nitatem vero eius ne significare qui-
 dem potest. Verum est, inquit, horum
 vi verborum integrum sub utraque
 specie non esse Christum: est tamen to-
 tus per concomitantiam. quoniam
 Christus cum vivus jam sit, & immor-
 talis, non potest sanguis ejus esse sine
 corpore, neque corpus sine sanguine,
 ne-

neque hæc sine anima & divinitate.
 Sed miseri isti, & superstitione cæcati
 Theologi nondum vident, quod eadem
 ratione non filius solum, sed Pater
 etiam & Spiritus sanctus, tota
 Trinitas incarnata comedederetur,
 Nam una eademque essentia divina
 numero in omnibus tribus inest per-
 sonis divinis: essentiam autem neces-
 sariò comitatur & subsistens
 tia ita, ut ubicunque est essentia divi-
 na, ibi necessariò omnia tria sint sup-
 posita, trésve personæ divinæ non po-
 test igitur per concomitantiam totus
 Dei filius manducari, quin tota quo-
 que Trinitas per eandem concomi-
 tantiam comedatur, totaque Theolo-
 gia Christiana confundatur.

Παράδοξον quartum.

*Quod Christus seipsum in ultima cena totum
 comedens, non tamen os & stomachum man-
 ducaverit suum.*



Orrò Christum ajunt non
 discipulis solum suis, sed sibi
 etiam corpus suum mandu-
 candum, & sanguinem biben-

dum' dedisse, non bibam a modo dicē

Matt. 26. tem de hoc genimine vitis, nisi in reg-

Marc. 14. no patris mei. Evidem jam mihi

non stulti, ut semper: non infani, ut
sæpe: sed ne homines quidem esse vi-
dentur, qui Romanum in Eucharistia

Christum esse dicunt. Nam qui co-

medit quippiam, ore, dentibus, cæte-

risque instrumentis à natura tributis

illud comedit, & ex palato in stoma-

chum demittit: fierique nullo modo

poteſt, ut illud idem os, quo comedi-

mus, simul à nobis comedatur: idem.

que stomachus, in quem cibus con-

jiciendus est, cibi vicem gerat, ut con-

trarium afferere & humanam, & di-

vinam sit rationem evertare. Sicut

enim Pater æternus non seipsum ge-

nerare potuisse dicitur, sed distinctū

à se filium: ita certè nihil seipsum, ro-

tum præsertim comedere potest, sed

aliquid à se distinctum & separatum.

non manducavit igitur Christus in

ultima cœna seipsum, sed panem dun-

taxat: neque sanguinem suum bibt,

sed vinum tantum, ut, & os retineret

suum,

suum, quo cibum illum comedederet,
 & stomachum, quo escam illam, potumque acceptum contineret. Imò
 potuit, inquit, Iesuitæ, Christus visibilis scipsum, panis scilicet, & vini speciebus occultatum comedere. O fraudem, perversitatemque Iesuiticam,
 quæso, cognoscite. Quia duos fingere Christos, quorum alter altero vescatur non audent: duos afferunt diversos existendi modos Christi, ut cum unus, & idem sit visibilis & invisibilis Christus, & visibilis scipsum visibilem, neq; re ipsa, neque modo, vel nomine possit distincto manducare: visibilis tamen scipsum invisibilem ut modo, nomineque, ita re ipsa distinctum comedere posse videatur.

Παρεδοξος quintum.

Quod totus in parvam hostiam inclusus Christus comprimatur, membris omnibus confundatur, planeque moriatur.



Arva, inquit, hostia est; atque magnus, & triginta trium annorum Christus. Ne-

que enim minus corpus ullo modo circumplexi majus, & omni ex parte continere potest. Vel si cum tota ibi sua est quantitate seu magnitudine Christus, quomodo in tam parvam hostiam includitur, & inclusus non comprimitur, compressus autem non membris omnibus confunditur, planeque emoritur? Non patitur, inquietunt, vim ibi ullam corpus Christi, eò quod non aliorū corporum more in hoc sacramento extendatur, sed in stat substantię immaterialis & indivisibilis totū sit in tota hostia, totumq; in qualibet etiā minima parte hostie. Hic ego omnes eorum Theologos & Philosophos testas, proprio hoc ut ore refellat, efficiam. Scribunt enim illi, & docent in scholis suis omnes: quantitatis essentiam esse, habere partes extra partes, vel certe dividi aut mensurari posse: nec potentia quidē effici posse divina, ut alicubi quantitas sine hac essentia, naturāve sua reperiatur. quandoquidem contradictionem involuit manifestam, rem quamquam sine

Sine essentia inveniri sua. Iam igitur
 eandem si retinet Christi corpus in
 hoc Sacramento quantitatem, seu
 magnitudinem, quam in cœlis habet,
 ad dextram sedens Patris, eandem
 quoq; habebit partium extensionem,
 divisionem & mensurationem. Siquidem
 corpus materiale ac divisibile
 nullo modo fieri contra naturam su-
 am immateriale & indivisibile potest.
 Nodū hunc Gordium Iesuitę cernen-
 tes, non illi quidem solvunt, sed obscu-
 ris suo more verbis involvunt, ut cùm
 cum dissolutum nemo videre possit,
 alicubi tamen tanquam in tenebris so-
 lutus jacere videatur. Dicunt enim,
 habere quidē Christum in Eucharistia
 & totā suam quantitatem, & partium
 extensionē ac divisibilitatē: verū nō in
 ordine ad locū, & hāc esse causā, cur tā
 parvus nobis videatur. O prestigias Ie-
 suiticas, omnes, queso, agnoscite. Rem
 hāc in summū adductā discrimē vidē-
 tes, quia materiale & divisibile Chri-
 sti corpus fingere immateriale & in-
 divisibile, ut ceteri, nō audēt: immate-

*Iacobus Paiz, Iacobus Gora
 donus in suis de Eua
 charistia tractationibus.*

rialem saltem & invivibilem, seu potius nullum esse locum fingunt, quanto tanta illa Christi quantitas & magnitudo occultetur, & oculis nostris subtrahatur. Sed quid dicent, cum ex illis quæsiero: Si magnum panem instar montis consecrarent, num ibi esset nec ne Christi corpus in ordine ad locum? Consecrari autem tantum posse panem, multitudo demonstrat hostiarum jam in Romana Ecclesia consecratarum: quæ in unum si locum conferrentur, magnum certè montem conficerent. Tunc sane contrariam, omnesque ipsorum prestatigias manifestantem, necessario adhibebunt responsonem: Christi corpus non solum ibi esse in ordine ad locum, sed etiam extra locum, hancq; esse causam, cur in tam monstrans magnitudinem excrevisse cernatur.

Naegidio sextum.

*Quod sacrificium missæ sacram ex Eucharistia
corpus, & sanguinem Christi tollat.*

Nondum hisce & hujusmodi sexcentis aliis, alio loco detegendis de corpore Christi nungis contenti, mysticū & incruentum etiam ex eo sacrificium esse instituerū contendunt, quod secundū ordinem Melchisedech Patri æterno offeratur, quod solum efficacissimum sit, ad hunc placandum medium. Atqui Melchisedechi panem tantū & vinum protulisse, id est, ut ipsi interpretantur, obtulisse legitur, quare aut ipsorum sacrificium, in quo nequam panem & vinum, sed solum Christum offerri dicunt, non est secundum ordinem Melchisedech: aut certè in eo secundum hunc ordinem panis duntaxat, & vinū, exploso Christo, offeruntur. O pugionem plumbum, exclamabunt, qui vel hoc solo retunditur, quod ordo sacrificiorum in externa potissimum forma, figu-

Genes. 14.

rāq; spectetur: cūm autem ibi panis,
 viniq; species saltem remaneant, or-
 do quoq; sacrificii Melchisedech con-
 servatur. O scutum luteum, quod tam
 facile plumbico pugione transfigitur.
 Nam ordo, quocunq; tandem is mo-
 do sumatur, semper res eas, quantum
 est ordo, concernit, non autem eas,
 quarum non est ordō: sed panis & vi-
 ni species non pertinent ad rem hu-
 jus sacrificii, ut ipsi fatentur, neque ad
 eam ullo modo referuntur, sed ad pa-
 nem tantū & vinum, quorum sunt
 species: quapropter non potest in for-
 lis panis ac vini speciebus hujus ordo
 sacrificii spectari, quin in solo etiam
 pane ac vino, sine corpore & san-
 guine Christi, ipsum sacri-
 ficium statuatur.

DE P R A E D E S T I
N A T I O N E M I R A P A R A
doxa tria conscripta per Christia-
num Francken Gardele-
biensem.

*Doctissimo Senatu, populoq; pessi-
mo Gardelebiensi*

CHRISTIANVS FRANCKEN
GARDELEBIENSIS

S. D. P.

NO n ignoro, viri præstantissimi ac in-
tegerrimi, quām facile oppugnari, expu-
gnarique falsum posse videatur: quamq; dif-
ficile veri aliquid inveniatur, inventumque
clare, perfecteque explicetur: nihilominus
tamen per paucis hisce meis & superioribus
etiam paradoxis, falsam Jesuitarum doctri-
nam oppugnantibus potius, quām meam ul-
la in re opinionem explicantibus omnes ve-
ritatis hostes in arenam provocare volui:
Plura enim & majora sum molitus, débi-
tasque vobis Dominis ac civibus meis cha-
rissimis (si modò potero) sum gratias rela-
turus, cùm alicubi mihi in voluntario hoc
meo exilio, & philosophica peregrinatio
de consistere placuerit. Valete. Ba-
silieæ vj Octobris, anni

1597.

Παρεδόξον primum.

Quod concilium Tridentinum ignorans An-
gustini de prædestinatione sententiam, igno-
ranter etiam certissimum hunc sui spiritus
sancti nuncium anathematis fulmine per-
cussit.

Epist. 105.

106. 107.

De natura,

& gratia

cap. 8. & 9.

De corre-

ptione &

gratia, cap.

10. 11. 12.

tiam sufficientē dedisse.

In Enchiri-

dio cap. 95.

De dono p-

severantiae

cap. 8. &

14. De præ-

destinatio-

ne sancto-

rum cap. 8.

& 9.

Rom. 9.



Vgustinus occultissimum
pertractans Divinæ præde-
stinationis mysterium, mul-
tis in locis cōstituit: Deum
Opt. Max. antequam primi nostri pa-
rentes peccassent, omnes voluisse ho-
mines salvare, ad hocq; omnibus gra-
tia, cap. 8. & 9. tiam sufficientē dedisse. Verūm post
commissum peccatum, totam Adæ
posteritatem, factam esse quandam
perditionis massam, damnationi ob-
noxiam: ex qua si nullus planè homi-
num liberaretur, sine ulla id Dei cul-
pa, injustitiāve fieret. Fecisse tamen
illum postea ex hac massa quædā vasa
in honorem, quædam autem in con-
sumeliam, hoc est, sola sua voluntate,
sine ulla aliorum prævisione operum,
quosdam prædestinasse ad vitam, quos
dam autem reprobasse ad mortem:
hoc

hocque propter peccatum duntaxat originale. Ex quo profectò deducitur, ipseque Augustinus apertissimè fateatur: Deum non solùm peccata hominum permittere, sed etiam eam, sincqua converti, salvariique non possint, denegare gratiam: ut infantibus baptismum, infidelibus fidem, Christiani perseverantiam. At verò Concilium Tridentinum vel ignorans, vel dissimulans hunc tanti sui Patris errorem, contrarium planè statuit, dum dicit: Deum sua semel gratia justificato non deserere, nisi prius ab eis deseratur, sed sicut cœpit opus bonum, ita illud perficere, operans velle, & perficere. Quid ad hæc Augustinus? Si qui inquit, necdum estis vocati, quos gratia sua Deus prædestinaverit eligendos, accipietis gratiam, qua velitis & sitis electi: & si qui obeditis, si e- stis rejiciendi, subtrahentur vobis o- bediendi vires, ut cessetis obedire.

Sessione 6.

cap. II. et 13.

*De bono
perseveran-
tiæ cap. 15.*

*non longè
à principio.*

Quid, quæso, hoc est aliud dicere, quam, qui in justitia Christiana perse- verat, ideo perseverare, quia gratiam

divinam acceperunt, qua ad finem usque perseverarent, quaque non possent non perseverare? & qui ab eadem excedunt, idecirco cadere, quia suam illis gratiam Deus ad perseverandum necessariam dare noluit? Deserit igitur ex Augustini sententia Deus, à quibus ipse non deseritur: Synodumque Tridentinā mendacii coarguit, illeque vicissim ab eadem erroris accusatur: immo eodem, quo capitales ipsius hostes appetuntur, anathematis fulmine, per summā ignorantiam, stultitudinemq; prosternitur. Fulminat enim Concilium cōtra eos, qui dicunt: peccatum a primis parentibus origine contractum virtute baptismi non verē remitti, sed tantummodo non imputari, seu quodam quasi modo abradi, ita ut peccatorum radices adhuc animo infixę maneant: constituitq; antiquū hoc peccatum, Sacramento baptismi prorsus deleri atq; funditus evelli. Statere hīc potest Augustinus, qui originali culpa non solum infantibus baptizmū, infidelibus fidē, sed baptizatis etiam,

*Sessione 5.
canone 6.*

am, semelq; justificatis denegari ait
perseverantiam? Qui enim hoc illis
peccatū virtute baptismi remissum es-
set & condonatum? aut si planè con-
donatū, cur illud idem Deus respici-
ens tam multos deserit baptizatos?
Hic omnes Romanz Ecclesiaz docto-
res laborare hærere, si quidnā respon-
dere debeant, cogitarint: labi vero &
cadere, si quicquam responderint, ne-
cessē est. Sed fortassis, cū Augustinū
hac in re errasse non audeant conce-
dere, solis prædestinatis per baptismū
condonari dicent originale pecca-
tum. Vtinam illud quidem. Sed non
audebunt. Sciunt enim Christum jus-
sisse omnes baptizari, idque in remis-
sionē peccatorū: velleq; omnes salvos
facere, quod certe nollet, si tam mul-
tos ob originalem culpā reprobasset.

Matth. 13.

Marci ult.

1. Tim. 2.

παράδοξον secundum.

*Quod Augustini & Iesuitarū hunc sequentium
de prædestinatione opinio, justum, ac proinde
ipsum de mundo tollat Deum.*



Vī porro non dicam miseri-
cordem, sed aliqua ex parte
justum hunc cogitare possu-

mus Augustini Deum? Nam ille Rex
 justus esset (ex humana enim justiti-
 am Iesuitæ venantur divinam) qui si
 cuiuspiam parens delinquisset, non
 hunc solum, sed totā etiam ejus pro-
 geniem, non condemnaret modō, sed
 ita condemnaret, ut ea poena solū pa-
 rentem, & per paucos ejus posteros,
 persoluta, per ditissimum quendam,
 qui id solus istis, ac omnibus aliis &
 possit, & præstare velit, redēptionis
 pretio, liberaret: reliquam autem om-
 nem infinitam multitudinem, omni
 repudiato pretio, crudelissimè necari
 juberet? Quis non immanem hunc
 potius, impium ac sceleratissimum di-
 ceret tyrannum? Et tamen hoc mo-
 do Augustinus præclarè se justitiam
 putat divinam defendere, dum Deum
 fingit Adæ peccato offensum, & hunc
 ipsum, & omnes qui ab ipso per natu-
 ralem propagationem descenderent,
 æternis suppliciis adjudicasse: ex qui-
 bus solum postea Adamum & pau-
 cos alios prædestinatos, pretio sangu-
 nis filii sui, quod vel ad totum redi-
men.
 L. Joban. 2.

mendum mundum erat satis, eripe-
ret: ceteros autem omnes quantum-
vis innocentes, nec pretio, nec preci-
bus liberandos censeret. O crudelem,
& plusquam crudelissimum, injustis-
simumque Augustini Deum, qui tam
levem, immo nullam propriam obcul-
pam infinitos ethnicos, Machumeta-
nos, Iudeos, innumeros denique Chri-
stianos, & quidem tales, qui ut ipse
Augustinus testatur, dilectionem ha-
bent, qua Christianè vivant, & ita vi-
vant, ut cum eorum vita, qui salvi fi-
unt, non sint comparandi, perpetuis
excruciando tormentis dæmoni tra-
dit. nam Augustus Cæsar multò mallet
crudelissimi hujus Dei, quem Her-
dis, qui cum pueris innocentibus fi-
lium quoque suum occidi jussérat, es-
se porcus, quam filius. Augustinus ta-
men se defendens nobis ita videri,in-
quit, qui originalis peccati magnitu-
dinem ignoramus. Quis tandem nisi
stultus hanc ignorat? Majus hoc erat
peccatum in illo, qui & sua sponte de-
liquerat, & nos inscios in idem deli-

In 14. libro
de civitate
Dei cap. 12.
& 15.

etum, induxerat, quām in nobis, qui nihil propria voluntate peccavera-
mus: & tamen liberatus atque salva-
tus est ille per fidem in semen mulie-
ris, quid igitur quod minimum, ac
propè nihil est in nobis, majus esse
singis. quām quod maximum in Ada-
mo? Quid? latrone si latrociniī abso-
luto, parvulos tamen filios ejus justil-
sime condemnatos dices, an quis
quam te mortalium ferret? annon or-
mnes iniquissimum te, monstrosis-
sumque esse judicem clamarent?

παρεδοξον τετρα.

*Quod omnium Theologorum Scholasticorum
de prædestinatione sententia Deum stultum
& insanum faciat.*



L F E C I T, credo, hoc tota
Scholasticorum Theolo-
gorum turba, quæ Augu-
stinum hac in re deserens,
Deumque summa injustitia libera-
re volens, in summam conjectit stul-
tiam & insaniam. Scribunt enim
acuti

acuti isti viri, præsertim verò horum
princeps Thomas Aquinas, Deum ab
æterno sola sua voluntate, sine ulla o-
riginalis & actualis peccati prævisio-
ne, certos sibi homines, quibus bea-
titudinem suam conimicaret, me-
diaque ad hanc consequendam ne-
cessaria suppeditaret, elegisse: reliquos
omnes meritò, & sapienter ab hoc fi-
ne exclusisse. Quemadmodum enim,
inquit Angelicus ille Doctor, ordo
proportioque universi requirit, ut a-
liæ res supremum, aliæ infimum obti-
nent locum: & sapiens architectus
alios abstrudit lapides in profundum,
alios collocat in editiori & conspicua
domus parte: sic rerum omnium sa-
pientissimus moderator Deus multa
fieri mala permittit, omnes à se repro-
batos ad infimum, & dæmoniorum
domicilium deprimentia, ut nonnul-
la inde eliciat bona, quæ omnes suos
prædestinatos ad supremas & cœle-
stes beatorum sedes elevent atque at-
tolant.

O miram sapientiam Dei, qui ut

In prima
parte quæ-
sti. 23.

In eadem
parte, &
eadē quæ-
stione artis
culo 5.

stolidus aliquis & stultus facere, sic
 permettere dicitur mala, eaque infi-
 nita, ut inde per pauca eveniant bona:
 qui præstantissimū hominibus finem
 constituens, ob vilissimas tamen, sa-
 peque fictas mathematicas propor-
 tiones, maximam hominum partem
 hoc fine non privat solum, sed ita pri-
 vat, ut quasi ipsi eum consequi potue-
 rint, cum certè Deus illum ut asseque-
 rentur noluerit, in miseriam etiam
 protruderentur sempiternam. Ut si
 Romanus Pontifex diceretur velle o-
 mnes suos Cardinales in Sanctorum
 numerum referre: non posse autem,
 vel nolle hoc facere, nisi prius ab ipso
 plenissimas acciperent indulgentia-
 rum alas, sine quibus nemo recta in
 cœlum fertur, sed necessario in Pur-
 gatorium delabitur: ipse tamē postea
 non omnibus, sed per paucis tantum
 hujusmodi alas largiretur: ceteros
 autem omnes, quia sine his, quas da-
 te noluit, alis ad cœlum pervolare ne-
 quiverunt, sed in ignem purgatorium
 deciderunt, in ipsum etiam ignem in-
 fer-

fernalem deturbaret, quis non crude-
 lissimam hujus Papæ stultitiam, stul-
 tissimamque crudelitatem detestare-
 tur? At talem omnes Doctores Scho-
 lastici Deum faciunt, docentes, illum
 antecedenti, id est, remissa quadam, &
 imperfecta voluntate (tanquam puer,
 vel stultus sit) velle omnes ut sacra
 scriptura docet, salvare: consequenti *Sap. I. 6. 12*
 verò, hoc est, perfecta, constanti & ef- *1. ad Tim.*
 ficaci voluntate (quasi jam vir vel sa- *2. ad Petri*
 piens sit factus) velle eos tantùm sal- *ultimo.*
 vos facere, quibus gratiam suam, ali-
 asque virtutes divinas, tanquam alas
 cœlestes dare decreverit: reliquis au-
 tem omnibus, quia sine hac, quam
 dare noluit, gratia, ad vitæ sanctimos
 niam pervenire, vel in eadem perse-
 verare nequiverunt, sed necessariò in
 quædam peccata inciderunt, impla-
 cabiliter irasci: eosque, quasi ipsi con-
 tra æternam ejus electionem ac præ-
 destinationem à peccatis tandem ab-
 stinere, sicque salvari potuissent, non
 autem voluissent, æternis etiam igni-
 bus excruciare. Tene ô Paule sancte,

1479393

94

sic sensisse existimem, cùm diceres: id
magna autem domo non solum sunt
2. Tim. 2. vas̄a aurea & argentea, sed & lignea, &
fictilia: & quædam quidem in ho-
norem, quædam autem in-
contumeliam?

F I N I S:

Verbum unum, pie Lector, idque non tam
nomine, quam re ipsa in mea, ex Typogra-
phia, absentia Invisible, proindeque in pagi-
na 77, versu 5 omissum, legendō ita recolli-
ges: Imò potuit, inquiunt Iesuitæ, Christus
visible, se ipsum invisible, panis scilicet &
vini speciebus occultatum comedere.

Item pag. 85. versu 25. lege perseverant, &
pag. 92. vers. 12. protruderentur:

CCN 931407722